

T1

## *Andria* vv. 581-606

### Un finto matrimonio

#### Personaggi in scena

**DAVOS:** servo di Simone

**SIMO:** padre di Panfilo

**CHREMES:** padre della promessa sposa di Panfilo

- 580 **DAVOS** Ad te ibam. **SIMO** Quidnamst?  
**DA.** Quor uxor non accersitur? Iam advesperascit. **SI.** Audin?  
Ego dudum non nil veritus sum, Dave, abs te ne faceres idem  
quod volgus servorum solet, dolis ut me deluderet  
propterea quod amat filius. **DA.** Egon istuc facerem? **SI.** Credidi,  
585 **585** idque adeo metuens vos celavi quod nunc dicam. **DA.** Quid? **SI.** Scies;  
nam propemodum habeo iam fidem. **DA.** Tandem cognosti qui siem?  
**SI.** Non fuerant nuptiae futurae. **DA.** Quid? Non? **SI.** Sed ea gratia  
simulavi vos ut pertemptarem. **DA.** Quid ais? **SI.** Sic res est. **DA.** Vide:  
numquam istuc quivi ego intellegere. Vah consilium callidum!  
590 **SI.** Hoc audi: ut hinc te intro ire iussi, opportune hic fit mi obviam. **DA.**  
Hem  
numnam perimus? **SI.** Narro huic quae tu dudum narrasti mihi.  
**DA.** Quidnam audio? **SI.** Gnatam ut det oro vixque id exoro. **DA.** Occidi.  
**SI.** Hem  
quid dixti? **DA.** Optume inquam factum. **SI.** Nunc per hunc nullast mora.  
**CHREMES** Domum modo ibo, ut adparetur dicam, atque hoc renuntio.  
595 **595** **SI.** Nunc te oro, Dave, quoniam solus mi effecisti has nuptias...  
**DA.** Ego vero solus. **SI.** Corrigere mihi gnatum porro enitere.  
**DA.** Faciam hercle sedulo. **SI.** Potes nunc, dum animus irritatus est.  
**DA.** Quiescas. **SI.** Age igitur, ubi nunc est ipsus? **DA.** Mirum ni domist.  
**SI.** Ibo ad eum atque eadem haec quae tibi dixi dicam idem illi. **DA.**  
Nullus sum.  
600 **600** **600** Quid causaest quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?  
Nil est preci loci relictum: iam perturbavi omnia:  
erum fefelli; in nuptias conieci erilem filium;  
feci hodie ut fierent, insperante hoc atque invito Pamphilo.  
Em astutias! Quod si quiessem, nil evenisset mali.  
605 **605** Sed eccum ipsum video: occidi.  
Utinam mi[hi] esset aliquid hic quo nunc me praecipitem darem!